



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Tribas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

inscriptio, CONSECratio. Horum numerum vis magna, dum hæc scribebam, eruta est in agro Bellunensi vico Plauterio, cum ingenti Gallienorum copia. Ad hujus similitudinem factus est nummus ille, quem Romæ apud Colotium, alterumque apud Georgium Anselmum Parmæ vidi: in quo scilicet, Pavo est cauda in rotam effusa, à cuius pedibus hinc inde S. C. notæ singulæ conspiciuntur, circumcirca, CONSECratio, ab altera facie muliebri caput occipitio velato, literæ DIVÆ MARINIANÆ. Inferiorem ea Augustorum aut mater, aut conjux, quod ex operis ruditate conjicimus: nam quo tempore, non reperi.

DE GALLINA. CAP. X.

GALLINÆ significata, quæ Pavoni subtexere visum est, in hunc modum habent.

TRIBAS. CAP. XI.

Mulierem tribadem, vel quæ maris officium aggredi non erubescat, vel etiam quæ viro dominari affectat, per Gallinam, quæ cristam erexerit, caudamque sustulerit, cuius etiam parva quædam calcaria promineant, intelligi veteres tradiderunt: ea siquidem, ubi marem, quod non nullæ faciunt, pugnando vicerit, cucurire incipit, & exemplo marium tentat coitu supervenire, Gallinasque reliquas perinde ac si rem peragere possit, sollicitat, & saliendo defatigat, cristam caudamque erigit: atque ea incedit specie, ut non facile inde sit, utrum mas an fœmina sit, internoscere.

DIVITIARUM FLAGELLATOR. CAP. XII.

Virum vero, qui opulentissimas divitias prodegerit, & ut apud Horatium est, res maternas atque paternas fortiter absumpserit, significare qui voluit, Gallinam aureos numos depascentem pingunt, de qua miraculum id proditur: ut si auro liquefcenti Gallinarum membra miscerentur illud in carnes eas consumi deprehendatur atque ita sit, ut Gallina sit auri venenum. Tradit hoc Aristoteles, atque eum secutus Plinius. Conjectores tamen autumant eum, qui per somnium Gallinarum gregem ad se venientem, & domum ingredientem inspexerit, & divitiis, & honoribus auctum iri. Quinetiam addunt, si Gallinæ ita per quietem visæ, pusillæ admodum apparuerint, lucellæ & demtidem tenuitatem præfagiri.

PERDITIO RERUM. CAP. XIII.

Sirenes cū
pedib. Gal-
linaceis
quid.

Qui fabulas delectabili Philosophandi genere commentisunt, Sirenas confinxere, quæ blanditiis amatoris, & voluptuosa nequitia homines ad se traherent, illecebrisque irretirent, apud quas mollitudinis omnifariæ luto inhæsitantes fœde computrescerent. Harum pedes Gallinaceos fuisse tradunt, intellectu à superiore non dissimili. Scribunt enim hujusmodi fabularum interpretes, significari ex hoc, hominem libidinibus deditum, fortunas suas perseveranti studio dispergere, inutiliterque prodigere, cujusmodi esse Gallinarum morem cum pleno acervo pascuntur, aspiciamus.

FOECUNDITAS. CAP. XIV.

Sunt qui ratione habita quotidiani fœtus, & geminorum aliquid quando pullorum, qui ovo ex unico excluduntur: ovorum etiam, quæ nonnullæ gemina singulis diebus edunt, cujus generis Gallinas Patavii vidimus, tertio etiam nonnunquam addito, verum eo abortivo, sola quippe cartilagine conspicuo, fœcunditatem per Gallinam & ovum significari velint. Sane de Gallinarum fœcunditate Albertus multa. Illud mihi satis fuerit adnotasse, quod apud Macedones Gallinam repertam ajunt, quæ ova duodeviginti semel ediderit, & in cubitu binos pullos ex ovis singulis excluderet. Sed à mirifica omnino alitis fœcunditate factum, ut Theologi veteres Gallinam pro piorum conventu poni tradiderint; ideoque dictum in Evangelio, ait Hesychius: Sic
Gallina congregat pullos suos sub alâ,

Fœcunditas
Gallina mi-
mirifica.

